Vocat ad se Petrum et Sismundum | principales consules
Lambertum et Glandulfum, ~~cives~~ | cives cari nobiles.
Revelat, quod hoc Timinus | factum ex insidia,
Hoc totum ex tradimento | et mira perfidia.

Hinc conscendunt parvas naves, | tracti ad concilium.
Decreverunt solam pugnam | tracti ad proelium.
Ut hoc solum indicaret | divinum indicium.

hoc videtur esse aliquid corruptum; codex numeris lacunas non indicans habet.

Hoc fuit antiquum festum | sancti Sisti nobile,
Cui sunt semper Pisanorum | de celo victorie.
In hoc Benedictus presul | populum alloquitur,
Et silentio indicto | murmur omne moritur.

Preparate vos ad pugnam, | milites fortissimi,
Et pro Christo omnis mundi | vos obliviscimini!
Maris iter restat longum; | non potestis fugere.
Terram tenens,
~~Quos de celis vos~~ | vos hostes confundere.

Non expavescatis ~~de~~ | de eorum numero,
Nam sunt turpiter defuncti | tormentes in heremo.
Neque vos conturbent domos | altis hedificiis;
Iherico namque prostrata | cum muris altissimis.

Inimici sunt factoris, | qui creavit omnia,
Et captivant Christianos | pro inani gloria.
Mementote vos Golie | gigantis eximii
Quem prostravit unus lapis | David parvi pueri.

Machabeus ille clarus | confidens in Domino
Non expavit ad occursum | plurimorum hominum,
Nec confidens in virtute | cuius quam fortissimi,
Sed in maiestate sola | Dei potentissimi.